EXERC
PHILOSOP
SCIPLINIS OMNI
RE, EARVMQVE PRI
bus in ſpecie ad examen propoſita:
tas, ſi ignota ſit, inveſtigetur; ſi obſcura,
illuſtretur: ſi dubia, confirmetur.

Quæ ſub favore divino & præſidio
D. JACOBI BLAIRIJ.

Propugnabunt adoleſcentes quidam Salvator
Gymnaſij titulo Magiſterij donandi ad diem
Calendas Iulias Anno 1612. *in Scholis*
publicis Collegij MARIANI.

Ἐν βαθεῖ κεῖται ἡ ἀλήθεια.

EDINBURGI,
Excudebat [illegible] FINLASON. 1612.

APVD SER

SIMVMET MAG

FICVM DOMIN. D. N. JOANNE

MITEM MONTIS-ROSARVM, F

ANTIQVISSIMÆ ET GENEROS

simæ Familiæ Grahamorum, quæ plures Heroa

Scotiæ genuit, Phylarchum, Dominum

de Graham & Montdieu, Baronem

de Kincardin, &c.

Splendidißimum veræ nobilitatis, prudentiæ, & quod ſumma laus eſt, pietatis ſpeculum, Mæcenatem ac *patronum gratioſiſſimum, in cultu & obſervantiæ teſtimonium ſubmiſſe deponunt*

Alexander Dalius.
Alexander Sibaldus.
David Bacillius.
David Iamiſonus.
David Michael.
David Myleſius.
David Ramiſæus.
Georgius Denarius.
Guilielmus Sibaldus.
Henricus Fullartonus.
Henricus Leſlæus.
Iacobus Edmonſtonus.
Iacobus Michael.
Ioannes Anderſonus.
Ninianus Oliphant.
Robertus Martinus.
Thomas Oliphant.

THESES PHILOSOPHICAE.

Theoremata Generalia.

Theo. 1. RES in rerum natura admirabiles hominum ſenſibus propoſitæ, effectum admirationis in mente commovent; admiratio, quæ eſt ſuſpenſio cogitationum circa rem in ſolitam propter cauſæ ignorationem, excitat innatum ſciendi deſiderium ad quærendum remedia quibus humani intellectus imbecillitas juvetur, & una cum ignorantia tollatur admiratio. *Ariſt. 1. Metaph. cap. 1. & 2. Top. cap. ult. Plato in Thæet.*

2. Remedia hæc in præceptis Philoſophiæ reperiuntur, quorum inventionem jucundiſſime ſimul, & acutiſſime deſcribit Philoſophus noſter. 1. *Meta. cap. 1. & 2. & 2. Poſt. cap. 19.*

3. Omnis enim noſtra cognitio a ſenſu originem ducit, quo acquiritur primum notitia ſingularium; ex ſenſualium notitiarum collectione naſcitur obſervatio in memoria; ex plurium obſervationum applicatione ad uſum certum fit experientia; ex obſervationum, & experientiarum multitudine, collecta inductio, in intellectu efformat univerſalia νοήματα, ex quibus diſciplinarum humanarum præcepta

colliguntur.

4 Quandoquidem disciplinæ hæ omnes destinatæ sunt ad informandam & perficiendam animam humanam, cujus nobilissimam facultatem intellectivam scilicet triplicem esse Philosophus & ratio ipsa docet. θεωρητικὴν, πρακτικὴν & ποιητικὴν. *6. Eth. cap.* 2. 5. *Meta. cap.* 1. Utique necesse est eas conformari, ac distribui ad inclinationes, sive propensiones animę quas perficiunt, ut nimirum quædam ad δύναμιν θεωρητικὴν spectent, ut Scientiæ; aliæ ad πρακτικὴν, ut Prudentiæ; alię denique ad ποιητικὴν, ut totus artium chorus.

5. Harum trium classium duę priores, Scientiæ scilicet & Prudentiæ Philosophiæ proprie dictæ partes sunt; tertia vero complectitur tam Philosophiæ instrumenta, quam fructus & effectus.

6. Scientiarum discrimina ab objecto sumuntur; quod vel est ens in communi, vel certum, & determinatum genus entis, ex istius contemplatione nascitur Scientia prima, & communis Metaphysica, aut prima Philosophia dicta; ex hujus vero, Scientię secundæ & determinatę.

7. Scientiæ determinatæ objectum aptum, nullum aliud genus entis esse potest præter substantiam, eique affinem quantitatem; & ex utriusque contemplatione binę oriuntur Scientiæ purę, mixtæ vero bis binę.

8. Scientiarum de substantia, una est, quæ substantiam immaterialem & immobilem, Deum scilicet mentesque separatas; quantum naturali ratione innotescere possunt, contemplatur, quæ Πνευματολογια, & a parte digniori Theologia naturalis nuncupatur: alia quę circa substantiam materialem & mobilem, corpus naturale scilicet versatur, & dicitur Physica.

9. Scientiæ de quantitate communi nomine Mathematicæ dictæ; sunt Geometria, & Arithmetica; quarum illa continuam

continuam quantitatem, ut magnitudinem, hæc discretam, ut numerum; & utramque a materia sensibili abstractam contemplatur.

10 Scientiæ mixtę ex Physica, & Mathematica, vel contemplantur corpora Physica modo Mathematico, ut Astronomia, & Geographia; vel res Mathematicas modo Physico, ut Musica & Optica.

11 Sub secunda disciplinarum classe quæ Prudentiarum est, continentur disciplinæ ad facultatem πρακτικὴν spectantes, quibus voluntas, & appetitus dirigitur ad studium, & acquisitionem boni moralis.

12 Bonum morale spectatur vel absolute, ut in Ethica, vel cum restrictione, aut determinatione ad certum vitę statum: qui duplex est vel scilicet domesticus, ut in Æconomica: vel publicus ut in Politica.

13 In tertia disciplinarum classe continentur artes, quæ ex Philosophiæ proprie dictæ limitibus excluduntur; sunt tamen aut ejus fructus, seu effectus tantum, aut etiam instrumenta.

14 Fructus & effectus Philosophiæ, sunt artes tam liberales, ut Medicina, Musica vocalis, & organica, Arithmetica practica, & Geometria practica & Ars pingendi, quam minus liberales, & sordidæ, ut Sutoria, Textoria, &c.

15 Non tantum fructus Philosophię, sed etiam instrumenta sunt artes, quæ instrumenta ministrant, quibus facilius finem Philosophiæ assequamur: & sunt vel generalia & toti Philosophiæ æqualiter communia, ut Grammatica & Logica: vel specialia ad certam Philosophiæ partem destinata, ut Rhetorica & Poëtica, quæ licet in quavis Philosophiæ parte usum aliquem habere possint, specialiter tamen ad Practicam spectant, quia per se ad inclinandam voluntatem & movendos affectus comparantur.

Problemata Generalia.

Prob. 1. AN Philosophia ulla ratione Theologiæ repugnet? *Resp. Negative.*

2 An Scholasticorum illa mixtura, Theologiæ cum Philosophia utilis, ut illi jactitant, an vero noxia fuerit Ecclesię? *Resp. Posterius verum est.*

3 Utrum Theologia ad Scientiam aut Prudentiam referri debeat? *Resp. Ad neutram proprie spectare, est enim Disciplina transcendens omnes humanas cogitationes; maximam tamen habet cum Prudentia cognationem.*

4 An textualis, an vero methodica & systematica Philosophiam peripateticam docendi via juventuti hujus sæculi utilior sit? *Resp. Posteriorem.*

5 Utrum Philosophia practica an theoretica in docendo & discendo præcedere debeat? *Resp. Theoreticam vtilius præmitti.*

6 An Raymundi Lulli ars, quam magnam & parvam vocat, in qua omnes Disciplinas ad unam redigere conatur, utilis sit & compendiaria Philosophiam addiscendi via? *Resp. Nequaquam.*

7 An tempus quod in doctrina Logicæ Ramææ docenda consumitur, utiliter impendatur? *Resp. Minime.*

Disputatio Logica.

Theoremata de doctrina Demonstrationis.

Theo. 1. LIcet omnis omnino syllogismus verus dirigat tertium humani intellectus actum, nempe discursum, ipsum tamen prȩcipue perficit syllogismus ex necessarijs.

2 Quapropter & per naturam homo scire desiderans 1.

Meta. cap. 1. hujuſmodi ſyllogiſmum, ſi haberi poſſit, maxime appetit, quo intellectus feratur non ad opinionem, ſeu pendulum aſſenſum, ſed ad conſenſum firmum & immotum, ut ſcientis animus reddatur ἀμετάπτωτος. 1. *Poſt. cap.* 2. *par.* 18.

3 Hic ſyllogiſmus ex neceſſarijs neceſſariam inferens concluſionem generaliter dicitur demonſtratio, & diſtingui ſolet in eum qui notificat διότι & in eum qui ὅτι tantum, quibus tamen demonſtrationis nomen æquivoce competit tanquam homonymis ab uno.

4 Prima autem & principalis ſpecies eſt διότι, ſyllogiſmus nempe neceſſarius pariens ſcientiam ejuſmodi concluſionis in qua accidens de ſuo ſubjecto prædicatur, idque per cauſam adæquatam.

5 Tres terminos neceſſario complectitur omnis demonſtratio τὸ ὑποκείμενον γενός, τὸ πάθος καὶ τὴν ἀρχὴν ſive τὸ αἴτιον.

6 Minoris extremi locum obtinet ſubjectum, quod ſive ſit totius Scientiæ generale, ſive particularis aliqua ſpecies, præcognoſci debet & quod ſit & utroque modo quid ſit; quæ præcognitiones principia quidem ſunt Scientiæ, non demonſtrationis proprie.

7 Majoris extremi locum obtinet τὸ πάθος affectio ſcilicet propria & reciproca ſubjecti: accidentia enim communia qua talia a perfecta demonſtratione excluduntur, nec tamen ea ex Scientijs omnino excludimus, immo & demonſtrari omnia poſſunt, ſi ad propria ſubjecta reducantur, quod non eſt impoſſibile.

8 Principium demonſtrationis vel eſt incomplexum, ut ipſe medius terminus, vel complexum, ut propoſitiones; quæ virtute medij termini principia ſunt & cauſæ concluſionis.

9 Medium demonſtrationis aut eſt ſubjecti forma, aut alia affectio prior, quæ eſt cauſa proxima cur accidens demonſtratum

monſtratum ſubjecto inſit, nullum enim ineſt propter ſe, ſed propter cauſam; per quod autem unumquodque eſt, per idem etiam ineſſe demonſtratur, & perfecte ſcitur.

10 Cauſa adæquata accidentis per quam demonſtratur alia nulla eſſe poteſt prꝛeter efficientem & finalem, nec enim materiam aut formam proprie dictam ullam habet accidens, ſed materiæ vicem obtinet ſubjectum, formæ vero genus, quorum neutrum medium demonſtrationis eſſe poteſt.

11 Demonſtratio porro per cauſam efficientem potiſſimum locum habet in paſſionibus proprijs demonſtrandis: ea vero, quꝛe per finalem in notificandis operationibus corporum naturalium ut plurimum occupatur, teſte Philoſopho. 1. *de par. Animal. cap.* 1.

12 Habet quidem hæc demonſtrationis ſpecies, magnam cum perfecta accidentis definitione cognationem, ita ut tantum θέσει τῶν ὅρων differant, non tamen propterea confundendi erunt earum fines proprij, ita ut demonſtratio dicatur non tantum per ſe notificare propter quid, ſed etiam quid ſit: unde ſumi volunt nonnulli diſtinctionem libri primi Poſteriorum a ſecundo, ſed abſque ratione, demonſtratio enim eſt inſtrumentum tertiæ operationis intellectus, quæſtio vero quid ſit ſimplex eſt, & ad primã operationẽ ſpectat.

13 Altera ſpecies ſyllogiſmi neceſſarij qua ὅτι tantum notificatur, eſt, quæ ſcientiam quidem certam parit, ſed aliquando minus perfectam, non tamen per cauſam adꝛequatam efficientem & finalem.

14 Hanc demonſtrationis ſpeciem anguſte nimis coarctant, qui eam ad ſolas demonſtrationes per effecta & cauſam remotam reſtringunt: quæ ſane mutilatio uſui logico maximopere nocuit, & utiliſſimam doctrinam demonſtrationis miris modis intricatam reddidit.

15 Licet enim demonſtrationes accidentium per effecta

& causam remotam, cum demonstratione διότι propter terminorum identitatem, similitudinem & similem procedendi modum, maximam cognationem habere videantur; non minus tamen notificat ὅτι syllogismus, cujus medium sumitur ex loco generis, speciei, causę materialis, subjecti, accidentis proprij, totius denique, & partium; quam ex illis.

16 Differunt itaque inter se hę duæ demonstrationis species διὰ ὅτι & ὅτι: primo ac principaliter medij termini ratione, ut explicatum est: deinde etiam ratione majoris extremi, quod in illa perpetuo est accidens minoris extremi, in hac etiam aliud attributum, ut genus, species, &c. Et si forte per hanc comparetur scientia accidentis, non tamen eodem modo & medio.

17 Utraque demonstrationis species certos habet gradus, ita ut alia aliam necessitate vincat, sicuti propositiones ex quibus cõstant aliæ alijs plus aut minus necessitatis includũt.

18 Necessitatis autem tres sunt gradus κατὰ παντὸς, καθ αὐτό, & καθόλου πρῶτον: quorum posterior pręcedentem includit, eique conditionem aliquam necessitatis superaddit: unde sequitur omnem propositionem καθόλου majorem habere necessitatem, quam ullam propositionem καθ αυτο.

Problemata Logica.

Prob. 1. VTrum res an intellectus sint subjectum Logicæ? *Resp. Utrumq; dici posse, res enim sunt subjectum operationis, intellectus vero directionis.*

2 An finis adęquatus Logicæ sit syllogismus? *Resp. Esse quidem illius partis organi Aristotelici quæ extat, Logica perfecta non esse.*

3 An verum sit quinque illa attributa, quæ a Porphyrio explicantur esse totidem distinctas species universalis? *Resp. Negative, duæ enim tantum sunt universalis species genus scilicet*

scilicet & species.

4 An omnia genera summa decem prædicamentorum sint univoca? *Resp. Illud tantum abesse a veritate, vt vix vnum reperias si ἀκριβῶς examinentur.*

5 An verbum substantivum (est) sit verum verbum? *Resp. Affirmative.*

6 An conclusio sit pars syllogismi? *Resp. Negative.*

7 An institutum Aristotelis sit in libris Topicorum doctrinam de omni syllogismo probabili tradere? *Resp. Minime, sed tantum de notionali.*

CONTEMPLATIO CORPORIS VIVENTIS IN HOMINE.

Theo. 1. QVemadmodum corporis animati scientia est norma scientiæ reliquorum corporum vitæ expertium, ita & de homine contemplatio mensura erit & exemplar perfectissimum, sine cujus collatione reliquorum animantium scientia, nec accurata, nec certa, aut solida acquiri potest, quum in unoquoque genere perfectissimum sit mensura reliquorum.

2 Homo etenim μικροκόσμος dicitur, non tam quod ipse universi sit imago, quam quod ipsius imago sit universum; ipsum enim summus universi opifex ad propriam imaginem immediate creavit, & ita ἀρχετύπῳ ἔκτυπος absolutissimus factus est, ut ipse sit universi ἀρχέτυπος.

3 Quapropter, licet vivens, licet etiam animal suam habeat naturam genericam, distinctam a natura hominis, quoad summum perfectionis gradum utriusque scientia ex hominis contemplatione dependet; ita ut plene & perspicue intelligi nequeat quid sit anima, quid vita, quid sensus, nisi in homine ea primum contemplemur.

4 Quædam

4 Quædam homo cum reliquis animantibus communia habet, ut naturam viventis, naturam animalis: quædam sibi propria, ut quę hominis speciem sequuntur & singulorum completa scientia duobus absolvitur, principiorum essentialium scilicet & affectionum, quę essentiam consequuntur, contemplatione.

5 Principia sunt forma vivens, seu anima, quæ est principium & ἐντελέχεια corporis physici organici potentia vitam habentis & materia nempe corpus dissimilare & organicum, vario partium & instrumentorum apparatu instructum, per quę anima formarum excellentissima diversi generis operationes exercere possit.

6 Affectiones viventis nec soli corpori, nec soli animę attribui debent, sed toti viventi: suntque vel primæ, vel ex primis ortę.

7 Affectionem primam appellamus vitam, quę est vigor & virtus viventis ex unione corporis & animæ, per vinculum calidi & humidi radicalis.

8 Humidum autem radicale & calidū nativum sedes suas habent in spiritibus, qui sunt substantię tenues, subtiles, aërię ac vaporosę prima animæ instrumenta: unde & Physici sic loquuntur de calore ac humore, ut appareat eos nō tam qualitates in abstracto intelligere, quam in concreto substantiam hanc spiritalem, blando beneque temperato calore & humore, non aqueo sed aërio, pingui ac oleoso prędiram.

9 Affectiones a vita dependentes tres sunt, nutritio, accretio & procreatio: sanitatem enim & morbum (licet non minus brutis & plantis suo modo, quam hominibus competant) non proprie affectiones viventis existimamus, sed primæ affectionis, vitę nempe, modos aut gradus.

10 Nutritio est affectio viventis, qua partes calore absumptę instaurantur assumpto & assimilato alimento, ad

individui conservationem : & quia individuum nutritione perpetuo conservari nequit, ideo ne deficiat species, viventi data est fæcunditas, qua ex semine prolifico sibi simile individuum procreare possit ad speciei conservationem : quia denique ad hanc & alias functiones perfecte exercendas, requiritur justa quantitas qua nullum vivens primo procreationis momento præditum est, concessa est etiam accretio, qua accessione alimenti extenditur vivens secundum omnes dimensiones usque quo convenientem assequatur staturam.

11 Accidentium quæ naturam consequuntur quam cum animalibus solis communem habet homo primum est sensus : ex sensu promanat appetitus, appetitum vero sequitur motus.

12 Sensus est notitia qua animal omne ex repræsentatione objecti per imaginem in organo receptam & judicatam, excitatur ad desiderium & indagationem jucundi & fugam noxij, homo vero specialiter ad contẽplationẽ præparatur.

13 Licet autem animali adsit facultas sentiendi, actu tamen non operatur nisi excitetur ab objecto, objectum in facultatem non agit nisi per organum aptum, ad organum deferri nequit objectum nisi per medium, nec recipi in organo realiter, sed tantum per speciem & imaginem sui in medio repræsentatam.

14 Unde sequitur hæc tria necessaria esse ut facultas sentiendi operetur : 1. Objectum quod est vel reale ut res singularis, vel repręsentativum ut species aut imago subjecti & utrumque vel est proprium unius sensus, vel plurium commune. 2. Requiritur medium per quod species objecti ad sensum deferatur. 3. Organum quod sensorium vulgo vocatur.

15 Sensuum alij, sensorio extra cerebrum posito, objectum externum idque prę sens tantum immediate percipiunt;

unt; alij ſenſorio inter cerebri viſcera exiſtente, intus efformata objecta etiam abſentia dijudicant: unde illi externi, hi interni ſenſus dicuntur.

16 Senſus externi ſunt quinque numero; viſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus: quorum tres priores animalibus abſolute neceſſarij non ſunt, ſed commodi tantum; duo poſteriores neceſſarij etiam.

17 Viſus objecti pulchritudine & perceptionis celeritate omnium nobiliſſimus; auditus tamen uſu quem in ſocietate civili cogitationum communicatione præſertim vero Diſciplinarum, & impreſſionis vehementia præſtat, homini chariſſimus eſt & viſum exuperat; tactus neceſſitate & organi amplitudine princeps; guſtus propter alimenti appetitionem ſumme neceſſarius; ſed olfactus ſenſuum omnium ignobiliſſimus & minime neceſſarius.

18 Viſus objectum non tantum eſt color, ſed maxime qualitates illæ pulcherrimæ lux & lumen, quibus niſi color illuſtretur non eſt viſibilis: organum externum oculus geminus, tribus conſtans humoribus, uno principali, cryſtallino; duobus minus principalibus, aqueo & vitreo: qui quatuor involvuntur tunicis, cornea, uvia, aranea & retina: organa interna ſunt partim nervi optici, partim ſpiritus opticus: medium denique eſt corpus διαφανες, quod ſcilicet lumen tranſmittere poteſt.

19 Auditus ſimiliter objectum eſt ſonus: ſenſorium externum eſt auris, quam natura ex diverſis partibus, oſſibus, cartalagine & membranis deo artificioſe compoſuit & anfractibus informavit, ut ſonos colligere & vehementiores mitigare poſſit; internum vero eſt nervus ακουστικος & ſpiritus ei incluſus: medium denique eſt vel externum, ut quodvis corpus ηχος ſeu perſonans ut aër qui vernaculus vulgo dicitur; quem quidam imperite organum exiſtimant.

20 Tactus objectum sunt qualitates tam primæ, calidum frigidum, humidum, siccum, quam secundæ, ut asperum, lene, durum, molle, lubricum, aridum, viscosum, friabile, adde etiam grave & leve: medium est vel externum, seu exterior cuticula corpus cingens, vel internum, ut caro musculosa: organa denique sunt nervi per universum corpus sparsi.

21 Gustus objectum est sapor: organum est nervus in linguæ tunicam insertus & spiritus ei inclusus: medium externum est saliva, internum caro fungosa linguæ. Olfactus denique objectum est odor: organum externum nares; internum os cribrosum & processus mammillares, medium aër vel aqua.

22 Sensus internus triplex est, nempe sensus communis, cujus organum est anterior cerebri pars; phantasia in cerebri meditullio sedem habens; & memoria, quæ probabiliter in cerebello, seu posteriori parte cerebri collocatur.

23 Quia nullus externorum sensuum se sentire sentit, nec inter objecta diversa, sive ejusdem, sive diversorum sensuum discernere potest, ideo sensus communis animali concessus est, ut per species a sensibus externis efformatas (in eo veluti lineæ omnes a circumferentia ductæ in centro concurrentes) de sensationibus & objectis diversis, tanquam judex in tribunali decernat, suum cuique tribuens.

24 A sensu communi ad phantasiam deferuntur eædem species, tanquam ad judicem superiorem, qui eas accuratius [illegible]pendat & inter se comparet, ut sententiam ferat; quid [illegible]lectendum, quid fugiendum animali: unde memoriæ [illegible]tur, ut ibidem tanquam in promptuario conserven[illegible], ut quando opus fuerit fiat redditio.

25 [illegible]dicium sensus communis excitat appetitum, quo animal mo[illegible]tur ad objectum naturæ suæ conveniens prosequendum

quendum, & repugnans repudiandum.

26 Est autem appetitus duplex ἐπιθυμία scilicet seu cupiditas, quę est desiderium vel recipiendi alimentum, ut fames & sitis; vel egerendi excrementum, sive utilius ad procreationem, sive inutilius, ut per alvum, vesicam, & sudorem: uel denique requiescendi per somnum; & πάθος seu affectus, quo ab objecto externo excitantur spiritus circa cor, ad amplectendum bonum, vel malum fugiendum, ut lætitia, tristitia metus, &c.

27 Sicuti sensus excitat appetitum, ita & appetitus locomotivam facultatem, qua sese movere potest animal per instrumenta ad motum destinata, ad prosequendum ea quæ appetitus amplectitur, aut fugiendum ea quę repudiat: esto; vel totius animalis, ut gressus, volatus, natatio & reptatio; vel partis, sive solidioris, vt capitis, oculorum, manuum, quę sua habent peculiaria nomina, sive tenuioris, ut spirituum motus, qui respiratio & pulsus dicitur.

28 Somnum & vigiliam inter affectiones animalis proprie dictas non numeramus: sed modos quosdam esse vitæ animalis censemus, quemadmodum de sanitate & morbo dictum est; insomnia vero nihil aliud sunt quam liberæ phantasiæ operationes in somno.

29 Hæc de affectionibus quas homo cum vivente & animali communes habet, sequuntur illæ quæ ex propria ejus natura qua homo est dependent, sunt que sex numero, primariæ tres, intellectus, memoria rationalis & voluntas; secundariæ totidem, sermo, risus & fletus.

30 Intellectio regia est & nobilissima hominis proprietas, qua homo res intelligibiles intelligens omnia sibi subjecta regit, creaturis dominatur, & ad Dei imaginem proxime accedit: ejus propriũ & verum obiectũ est ipsum verum, & omne ens qua verum, ac primum quidem summũ ens Deus, qui est

ipsa

ipsa essentialis veritas, deinde inter entia dependentia objectum primarium est universale, secundarium singulare, licet primo cognitum.

31 Porro intellectio non fit nisi per species, quæ nec substantiæ sunt, nec accidentia proprie dicta, sed substantiarum & accidentium simulacra picta & efformata in spiritu intellectuali.

32 Sunt hæ species vel primæ, quibus proxime & immediate res extra intellectum repræsentantur; ut species hominis, leonis, &c. vel secundæ, quibus non ipsum objectum repræsentatur, sed modus objecti recte intelligendi: hinc distinctio illa notionum in primas & secundas, quarum gradus tres sunt, primus, quo repręsentantur res simplices, secundus quo compositæ, tertius, qui discursus nominatur.

33 Intellectus licet reipsa simplex sit, ratione tamen duplex; quatenus enim intelligibilium species & imagines recipit passivus appellatur, quatenus vero easdem receptas dijudicat intellectus agens dicitur: non itaque sunt illæ distinctæ intellectus facultates, multo minus res toto genere diversæ, ut volunt illi qui intellectum agentem Deum esse aiunt, aut genium aliquem.

34 Intellectio dividitur vel ratione objecti in speculativam, qua illud intelligimus quod a solo Deo & natura producitur, & practicam, qua cognoscuntur ea quæ ad actiones vitæ moralis spectant & effectivam qua intelligimus ea quæ arte produci possunt: vel ratione modi intelligendi, qui est aut certior, aut incertior, unde intellectio nostra nonnunquam scientiæ, nonnunquam opinionis nomen accipit.

35 Sicuti sensui assignata est sua memoria ita cum intellectu coheret vis quędam conservatrix, qua species intelligibiles ab intellectu efformatæ tum firmantur, ne evanescant, tum redintegrantur, ac recolliguntur, quum evanuerint aut

fuerint

fuerint obliteratæ; illius muneris respectu dicitur memoria rationalis, hujus vero ἀναμνησις.

36 Voluntas humana est vis qua homo libere & cum delectatione objectum sibi ab intellectu sub ratione boni monstratum appetit, in eoque qua bonum acquiescit: differtque ab intellectu & ratione objecti, hujus enim objectum est verum, illius bonum & ratione actus, mens enim objectū suum intra se recipit, voluntas extra se positum prosequitur, verum namque & falsum proprie sunt in intellectu, bonum & malum in rebus; ideo voluntas motui, intellectus quieti similior est.

37 Trium secundariarum affectionum hominis princeps est sermo, qua homo mentis cogitata & voluntatis decreta articulata voce exprimit, nam objectum sermonis proprium est idem quod intellectus & voluntatis, nempe verum & bonum, ideo sicuti nihil intelligit qui verum non intelligit, & nihil vult qui bonum non vult, ita nihil loquitur homo qui verum aut bonum non loquitur.

38 Risus & fletus sunt affectiones hominis quibus lætitiam aut tristitiam internam animi extrinsecus significat & non minus hominis naturam consequuntur quam ratio & sermo, licet secundario.

Problemata Physica.

Prob. 1. AN principia & affectiones quæ libris Acroamaticis explicantur, ibidem tractentur quatenus omni corpori naturaliter competunt, an vero ut corpori generabili tantum? *Resp. Posterius verum esse.*

2 An locus omnis corporis naturalis absolute definiatur ab Aristotele. *lib. 4. Phys?* *Resp. Minime tantummodo enim ibi per se & primario definiri putamus locum elementorum, quatenus certum obtinent in mundo situm: nec enim cælo competit*

petit ille locus; nec mixtis, nisi ratione prædominantis elementi; sed aliud est genus loci quod cum corpore naturali reciprocatur.

3 An eadem sit materia cœlestium & sublunarium? *Resp. Negative.*

4 An in cœlo præter intelligentiam statuat Aristoteles aliam formam informantem? *Resp. Nullam.*

5 An Luna & reliqua astra propria & innata luce luceant, an vero omnem a Sole mutuentur? *Resp. Prius verius esse.*

6 An vis aliqua & efficacia cœlo & astris tributa sit in hæc inferiora? *Resp. Esse, præsertim in corpora humana, quæ temperamenti puritate cum cœlestibus majorem habent cognationem, & in eas etiam animæ actiones quæ temperamentum corporis sequuntur: res de Sole & Luna manifesta est, de reliquis existimandum non tantam stellarum varietatem in cœlo positam esse ornatus tantum causa, sed singulis proprias easq; diversas tribuisse Deum vires & virtutes in hæc inferiora.*

7 An sit aliquod elementum ignis supra aërem? *Resp. Esse, licet sensu non discernatur ab aëre & cœlo.*

8 An per aquas illas supercœlestes 1. *cap. Gen.* intelligendæ sint nubes? *Resp. Non ita videri.*

9 An elementa maneant in mixto integra, an fracta? *Resp. Posterius verum est.*

10 An metallorum materia sit humor aqueus cum terreo confusus, an vero argentum vivum & sulphur? *Resp. Illum humorem esse remotiorem materiam; hæc, aut aliquid his analogum proximiorem.*

An una sit in unoquoque vivente anima, an vero in homine sint duæ, aut tres essentialiter distinctæ? *Resp. Unius esse.*

[illegible] vere dicatur corpus animæ onus, carcer, gravamen [illegible] lachrum, ita ut a corpore separata in libertatem [illegible]? *Resp. Minime, anima etenim rationalis a corpore*

separata

ſeparata ſemper retinet deſiderium vnionis cum corpore, tanquam ad id ordinata divinitus, ita vt ſola ac ſeparata nec eſſentiam, nec exiſtentiam, atque adeo nec operationem completam habeat.

13 An anima rationalis in corpore operetur mediante organo corporeo, necne? *Reſp. In ordinarijs operationibus organo aſtringitur, in extraordinarijs vero quibuſdam, quæ ſimiles illis ſunt quas habitura eſt a corpore ſeparata, organo non vtitur.*

14 An anima humana omnis immediate à Deo creata ſit, an vero fiat ex traduce? *Reſp: Duas haſce in ſpecie pugnantes ſententias ita conciliari poſſe exiſtimamus, ſi dicamus animas liberorum propagari ab animabus parentum, non tanquam a materia, ſed a cauſa efficiente, accedente interim ad cauſas naturales ſingulari quadam operatione Dei plus præſtantis in hominis generatione quam in generatione aliarum rerum; quæ tamen operatio creatio abſolute dici non poteſt.*

15 An illud quod Ariſtoteles aſſerit *lib. 1. de Ortu. cap. 5.* accretionem fieri ſecundum formam, non ſecundum materiam, intelligendum ſit de forma, quæ eſt altera pars compoſiti, an de eſſentia, quæ dicitur forma totius, an vero de forma quantitativa? *Reſp. Tertium horum maxime congruere cum verbis Philoſophi & conditione accretionis.*

16 An jejunia illa quorum mentio fit apud Hiſtoricos fide dignos, quibus alij ad plures menſes, alij ad plures etiam annos, abſque aſſumpto alimento ſupervixerunt, cauſas aliquas naturales habere poſſint? *Reſp. Eorum quædam eſſe plane divina ac miraculoſa, alia dæmonum præſtigijs fieri, alia denique eſſe affirmamus quæ ad cauſas naturales revocari poſſunt.*

17 An ullo ſenſu a brutis vincantur homines. *Reſp. Nullo.*

18 Utrum cerebrum an vero cor inter corporis membra principem locum obtineat? *Resp. Cor quidem quoad præparationem ſpirituum, principia prima ſentiendi, movendi & affectuum generationem; cerebrum propter elaborationem ſpirituum, & proximam ſedem ſenſuum principatum obtinere.*

19 An viſio fiat recipiendo ſpeciem objecti intra ſenſorium, an vero emittendo ſpiritum opticum extra oculum ad ipſum objectum? *Resp. Nos priorem partem cum Ariſtotele tueri.*

20 An olfactus fiat recipiendo odores realiter, an vero per ſpecies? *Resp. Prius eſſe contra analogiam reliquorum ſenſuum.*

21 An ſint notitiæ quædam communes & principia communia innata humanæ menti ab ortu, an vero omnis noſtra cognitio a ſenſu oriatur, & ſit intellectus inſtar tabulæ raſæ? *Resp. Habere quidem hominem potentiam & facultatem abſq; vlla probatione aſſentiendi communibus illis principijs, vnde innata dicuntur; actu tamen eorum ſimulacra non eſſe in mente effor mata niſi mediante ſenſu.*

22 Utrum intellectus an voluntas ſit nobilior? *Resp. Voluntatem quoad ordinem agendi poſteriorem eſſe, ratione objecti vero ei non cedere, ſicuti nec bonum vero minus dignũ eſt.*

23 An ingenium ſit ſpecialis animi facultas a reliquis diſtincta? *Resp. Nihil aliud eſſe quam facultatem intelligendi ad certum temperamentum ac conſtitutionem hominis in certis individuis reſtrictam.*

24 An conſcientia ad ſolum intellectum, an vero ad intellectum & voluntatem conjunctim ſpectet? *Resp. Fallunt & fallũtur qui prius affirmant, ſic enim ſequeretur vbi plus eſt ſcientiæ eorum quæ agenda ſunt, ibi quoq; plus eſſe conſcientiæ in agendo, quod quam falſum ſit, experientia docet.*

25 An certa aliqua lingua homini naturalis ſit? *Resp. Valde eſſe probabile, ſi naturam in ſua perfectione ſpectes, quum ſermo*

ſit

sit præcipuum vinculum societatis humanæ, quumq; natura feratur ad vnum, & cupiat omnes homines inter se vnius linguæ communione consociare: & hanc Hebræam esse non dubitamus asserere.

Problemata Metaphysica.

Prob. 1 AN subjectum adæquatum Metaphysicæ sit ens in communi? *Resp. Esse quidem, licet affectiones primo de substantia demonstrentur: in generibus enim τῷ ὃτι primaria species sibi vendicat proprietates generis.*

2 An affectiones entis realiter differant ab ente ipso? *Resp. Eas non esse res, sed rerum modos, ideo nec realiter differe posse.*

3 Utrum unitas, an veritas, an bonitas, an perfectio sit prima affectionum Metaphysicarum? *Resp. Vnitatem esse.*

4 An unitas sit affectio positiva, an vero in privatione posita? *Resp. Affectionem positivam esse, licet non nisi vocabulis privativis ejus natura commode exprimi possit.*

5 An causa difficultatis in investiganda veritate oriatur ex intellectu nostro, an vero ex rebus ipsis? *Resp. Ex neutro per se, per accidens ex utroq;.*

6 An sit aliqua efficiens causa falsi? *Resp. Nullam esse proprie, nisi deficientem pro efficiente sumas.*

Problemata Mathematica.

Prob. 1. AN quæ vulgo Algebra & doctrina sinuum, sit Arithmeticæ pars, an vero Scientia distincta? *Resp. Arithmeticæ partem esse eamq; subtilissimam & utilissimam ad supputationes Astronomicas.*

2 An numerus sit in infinitum divisibilis sicuti magnitudo? *Resp. Affirmative.*

3 An unitas sit numerus? *Resp. Negative.*

4 An angulus sit magnitudo? *Resp. Non esse per se, sed magnitudinis*

nitudinis affectionem tantum.

5 An circulus possit quadrari? *Resp. Posse, nondum tamen ejus exacta ratio adinventa est.*

6 An ex contactu lineæ rectæ & circumferentiæ fiat verus angulus? *Resp. Fieri, sed quovis acuto recti-lineo minorem.*

7 An omnis figura æqui-latera sit etiam æqui-angula? *Resp. In hoc hallucinatos esse quosdam Mathematicos doctos; sed res ita determinari potest; omnis quidem æqui-latera circulo inscripta necessario etiam æqui-angula est, non tamen omnis quæ circulo circumscribitur, nisi quando numerus angulorum est impar, vel si par sit, quando duo anguli proximi æquales sunt; vel duo non proximi, dummodo uno eorum primum posito alter occupet locum parem quemcunq.*

Problemata Astronomica.

Prob. 1. AN Astronomiæ pars practica quæ vulgo Astrologia judiciaria dici solet, utilis sit, aut licita? *Resp. Posse quidem ex ea utilitatem a doctis & modestis viris acquiri non parvam, sed multorum petulans curiositas effecit ut tota damnari mereatur.*

2 An primum mobile sit undecimum cœlum? *Resp. Affirmative.*

3 An unum & idem cœlum, sive super eosdem, sive super diversos polos simul ob ortu in occasum, & ab occasu in ortum eodem tempore moveri possit? *Resp. Negative.*

4 An sydus illud quod anno 1572. in Cassiopæa & aliud quinto post anno in Sagittario. Et tertium anno 1604. apparuerunt, veræ stellæ fuerint in Ætherea regione, an Cometæ tantum in regione elementari? *Resp. Cometas fuisse cum peritis Physicis & Astronomis censemus.*

5 An

5 An ſtellæ fixæ in cœlo conſpicuæ, plures ſint quam mille viginti duæ? *Reſp. Licet hallucinante viſu plures videantur, peritorum tamen Aſtronomorum omnium temporum exacta obſervatio & ſupputatio, per ſingulos aſteriſmos ſeparatim, nobis perſuadet multo plures non eſſe.*

6 An reformatio Gregoriani Calendarij adeo exacta ſit, ut nunquam futuris ſæculis ipſum immutare ſit neceſſe? *Reſp. Minime.*

7 Vtrum mundi natalis & verum anni principium in Æquinoctio autumnali cum Ægyptijs, an in Solſtitio brumali cum Romanis, an denique in Æquinoctio verno cum Aſtronomis ſtatui debeat? *Reſp. Nos libentius Aſtronomorum conſtitutionem ſequi; quam confirmat reſtitutio illa veri principij a menſe Abib apud Hebræos.* Exod. 12. ver. 2.

8 An illa Solis obſcuratio tempore paſſionis Dominicæ fuerit per Lunæ interpoſitionem? *Reſp. Negative.*

9 An φαινόμενα omnia cœleſtia ſalvari poſſint & perſpicue demonſtrari abſque eccentricis & epicyclis? *Reſp. Nullum huc uſq; modum inventum commodiorem.*

Problemata Ethica.

Prob. 1. AN Chriſtianus vere affirmare poſſit ſummam fælicitatem hominis in actione ſecundum virtutem poſitam eſſe? *Reſp. Abſq; ulla impietate illud affirmari poſſe, dummodo de fælicitate morali in hac vita ſermo ſit.*

2 An bona externa ad fœlicitatem requirantur? *Reſp. Ea omnino ad fœlicitatis integritatem neceſſaria eſſe.*

3 An virtus moralis in ſolis affectibus moderādis verſetur? *Reſp. Minime, virtute enim omnes hominis facultates practicæ ut voluntas, appetitus, loco-motiva facultas, ſenſus & ſermo ad rectitudinē, ſeu mediocritatem rediguntur & componuntur.*

4 An

4 An honor ſit in honorantis, an honorati poteſtate?
Reſp. Diſtinguendum eſſe; ſi honorem ratione fundamenti ſpectes in poteſtate honorati eſſe certum eſt, neq; enim fieri poteſt, ut virtutem viſam & agnitam non revereantur & colant etiam ſceleſtiſſimi quiq;: ſi vero pro externa illius affectus ſignificatione honor ſumatur, ab honorantis arbitrio pendere concedimus.

5 An qui unam virtutem particularem plene habet, etiam omnes reliquas habeat? *Reſp. Verum eſſe & ratio eſt manifeſta; vir enim prudens omnibus virtutibus, quotquot ſunt, præditus eſt, qui autem unica virtute eſt præditus, prudens dicitur, & contra, qui non eſt prudens nulla eſt virtute præditus; unde ſequitur eum qui una virtute perfectè præditus eſt, etiam alijs omnibus eſſe præditum.*

6 An omnis qui alteri damnum infert, faciat ei injuriam?
Reſp. Minime, ἀδικία enim proprie dicitur tale damnum, quum quis alterum de induſtria & conſulto, ſciens volens, lædit.

FINIS.



AQVILON
A
MIDI